



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. De secundo effectu, qui est privare excommunicatum
participatione Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS III

De Secundo effectu, qui est privare excommunicatum participatione Sacramentorum.

- I. *Quandonam possit per accidens Excommunicatus recipere, & administrare Sacramenta?*
- II. *Num Excommunicatus vitandus post collatam moribundo in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem possit etiam Eucharistiam, ac Extremam Unctionem ministrare?*
- III. *Valida sunt Sacramenta ab excommunicato collata, excepta Penitentia ab excommunicato vitando administrata extra casum necessitatis, nisi adsit error communis.*
- IV. *Excommunicatus ignorans suam excommunicationem, si bona fide accedat ad Sacramentum Penitentiae, valide illud suscipit.*
- V. *Irregularitatem incurrit excommunicatus, si Sacramenta administret, aut Sacrum Ordinem exerceat, etiamsi invalide ex defectu jurisdictionis Sacramentum Penitentiae administret.*
- VI. *Excommunicatus non peccat per hoc, quod die festo Missam non audiat; peccat vero per hoc, quod sacram Synaxim in Paschate non recipiat.*

I. Secundus effectus excommunicationis est Privatio tam activa, quam passiva participationis Sacramentorum; unde excommunicatus tam vitandus, quam toleratus illa nec administrare potest, nec recipere.

Quaeritur nunc primo; An possit excommunicatus aliquando licite recipere, aut administrare Sacramenta? Respondeo, posse aliquando per

accidens pluribus de causis; Verbi gratia, ratione ignorantiae, aut inadvertentiae; vel ad vitandum scandalum, aut grave aliud damnum sive proprium, sive alienum, sive spirituale, sive temporale, sive in fama, sive in bonis aliis; dummodo valide possint Sacramenta suscipi, aut conferri; Sicut valide omnia suscipi, & conferri possunt, excepto Sacramento Penitentiae, ut mox explicabimus. Unde fit, excommunicatum etiam vitandum posse licite in articulo mortis administrare moribundo Sacramenta, etiam Penitentiae, si alius minister desit; Neenon Parochum excommunicatum assistere matrimonio, vel alteri Sacerdoti licentiam conferre ad assistendum pro ipso in simili casu necessitatis, ut notat Hurt. disp. 4. diff. 2.

H. Dubium est; An excommunicatus vitandus, postquam dedit moribundo absolutionem Sacramentalem, possit illi ministrare Eucharistiam, & Extremam Unctionem?

Negat Hurt. loc. cit.; quia cessat ratio necessitatis proximi, qui non tenetur obedire praecepto divino de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quando adest (ut in casu) legitimum impedimentum. Sed probabilius affirmant Suar. disp. 1. sect. 2., Pal., & alii; quia quamvis non sit in moribundo sacramentaliter absoluto necessitas sumendi Eucharistiam, aut Extremam Unctionem, est tamen major necessitas obediendi praecepto positivo Christi Domini de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quam sit necessitas obediendi praecepto Ecclesiastico de non communicando cum excommunicato vitando; ergo potest ab isto suscipi Eucharistia; praesertim quia accidere potest, ut moribundus per absolutionem non sit justificatus, & per Eucharistiam bona fide susceptam justificetur, & sic salvetur. Et

ob hanc rationem tempore interdicti non solum permittitur moribundo Sacramentum baptismi, aut pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiæ. Quia vero tempore interdicti non permittitur Extrema unctio, hinc Suar. putat loc. cit., quod excommunicatus vitandus non possit Extremam unctionem conferre moribundo, cui ministravit Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; possit tamen in defectum istorum Sacramentorum Extremam unctionem ministrare; quia probabile est, quod hoc Sacramentum conferat primam gratiam attrito putanti se non esse in mortali.

III. Quæritur secundo; An Sacramenta ab excommunicato suscepta, aut administrata sint invalida?

Respondeo, certum esse, quod sint valida sex alia Sacramenta præter Pœnitentiæ; quia posita eorum materia, & forma independentes a voluntate Ecclesiæ perficiuntur ex institutione Christi Domini. Poterat quidem Ecclesia invalidare Sacramentum matrimonii, invalidando contractum matrimoniale celebratum inter excommunicatos; sicut invalidavit matrimonium clandestinum; sed de facto noluit ipsum invalidare. Porro Sacramentum Pœnitentiæ, si ministratur ab excommunicato tolerato, est validum, quia hic non privatur jurisdictione; secus vero si ministratur a non tolerato, qui caret jurisdictione; Excipitur tamen casus extremæ necessitatis proximi; siquidem in articulo mortis ex Trident. confertur illi ab Ecclesia jurisdictione; sicuti etiam si ignoretur in aliquo loco ejus excommunicatio; tunc enim stante errore communi, ex Leg. *Barbarius*, propter commune bonum confertur pariter ab Ecclesia Sacerdoti excommunicato non tolerato jurisdictione.

IV. Dubium itaque solum est; An Sacramentum Pœnitentiæ valide reci-

Pars VIII.

piatur ab excommunicato ignorante suam excommunicationem, & bona fide ad illud accedente cum debita dispositione? Sylvest., Vasq. de Excommunication. dub. 4., Hurt. diff. 3. putant, invalide suscipi etiam ab excommunicato excommunicatione minore; quia in Sacerdote non habetur jurisdictione relate ad pœnitentem non absolutum ab excommunicatione. Sed verius Cajet. Avil., Suar. disp. 10. sect. 3. putant, valide suscipi ab excommunicato non prius absoluto bona fide ab excommunicatione etiam majore; quia in jure non irritantur Sacramenta ab excommunicato suscepta. Præterea excommunicatio pœnitentis non tollit Confessario suam jurisdictionem; cum non sit pœna confessarii, sed pœnitentis; ergo si non caret in tali casu Confessarius jurisdictione, validum erit Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato susceptum, non præmissa absolute a censura bona fide.

V. Quæritur tertio; Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite Sacramenta administrans?

Respondeo, præter culpam sacrilegii, incurrere pœnam irregularitatis, ex *Cap. ult. de Clerico ministrante*: Sicut etiam irregularitatem incurrit, si Sacrum Ordinem, quem habet, exerceat; puta si Diaconus solemniter cantet Euangelium. Quod si cantet Euangelium, quin sit Diaconus, irregularitatem non incurrit; Nec illam incurrit, si iustis de causis excusetur a culpa, aut ex probabili ratione putet, se non esse excommunicatum. In receptione vero Sacramenti excommunicatus nullam pœnam Ecclesiasticam incurrit, nisi sit excommunicatus ob percussorem Clerici; hic enim, si suscipiat Ordines, manet suspensus ab Ordine suscepto, ex *cap. Cum illorum, de sententia Excommunicationis*.

Dubitatur; An irregularitatem incurrat excommunicatus vitandus, qui

N Sa-

Sacramentum Pœnitentiæ administrat? Negat Richard., quia cum careat jurisdictione, attentat tantum Sacramentum ministrare, sed re vera illud non administrat. Affirmat tamen Suar. disp. 2. sect. 3., & Pal.; quia irregularitas ista imponitur ob delictum fun- gentis, quantum est in se, potestate Ordinis; quod præstat, qui etiam invalide Sacramentum Pœnitentiæ admi- nistraret: Aliter neque incurreret ir- regularitatem, quando ex indispositio- ne pœnitentis Sacramentum est nul- lum; quod nemo dixerit.

VI. Quæritur ultimo; Utrum excom- municatus peccet omitendo auditio- nem Sacri die festo, & annuam con- fessionem, & communionem in Pa- schate?

Respondeo cum Avil. 2. part. cap. 6. disp. 4., Medin. Navar., quod si eo fine negligat absolutionem, ne au- diat Missam, aut recipiat Sacramenta præcepta, procul dubio peccet mortaliter; Si vero sit negligens in pro- curanda absolutione, non tamen eo fine, non peccat non audiendo Mis- sam; peccat vero non suscipiendo in Paschate Sacramenta. Non peccat non audiendo Missam die festo, quia Ec- clesia non obligat impeditos; nec vi- detur homo obligatus se disponere ad audiendam Missam tollendo impedi- mentum censuræ; quia hæc dispositio censetur valde remota: Et idcirco non peccat contra præceptum audien- di Missam infirmus, qui negligens est in procuranda sanitate; aut qui sua culpa in vinculis detinetur, verbi gra- tia, non solvendo debita, ut docet Laym. cap. 2. de Excommunicatione: Contra vero peccat non suscipiendo in Paschate Sacramenta; quia præcep- ta confessionis, & communionis an- nuæ non sunt pure Ecclesiastica, ut præceptum audiendi Missam, sed sunt partim divina; unde quamvis Eccle- sia prohibeat excommunicato accede-

re ad Sacramenta, non tollit tamen obligationem juris divini de recipien- dis Sacramentis: Adde ex Laym., quod præceptum confessionis per se obligat ad mundandam conscientiam, & ad tollenda vincula tum peccato- rum, tum excommunicationis; ergo si excommunicatus negligat ea tolle- re, procul dubio peccat.

ARTICULUS IV.

De Tertio effectu, qui fert privato- nem Divinorum officiorum, Ec- clesiastica sepulturæ, & alia- rum rerum sacrarum.

- I. Quid veniat nomine divinorum offi- ciorum, quorum celebratio excom- municatis inhibetur? In recitatione privata Horarum non nisi veniale est socium adhibere, & dicere, Do- minus vobiscum.
- II. Etiam toleratis vetitum est Missam audire, aut ad illam cooperari dan- do stipendium; sed non toleratus eiiciendus est tempore divinorum of- ficiorum. Quid si nequeat expelli?
- III. Num prohibeatur excommunicatis sui rebus sacris?
- IV. Celebrans coram excommunicato vi- tando quam pœnam incurrat?
- V. Sepultura Ecclesiastica quibus ex- communicatis sit neganda?
- VI. Num excommunicatio lata contra sepelientes excommunicatum in lo- co Sacro incurratur a sepeliensibus dumtaxat, an etiam a comitantibus, & a non impediensibus?

I. Juxta tertium effectum excom- municationis prohibetur ex- communicatis, etiam toleratis, divi- na officia celebrare, aut iisdem inter- esse, ex Cap. Nihil, de Sententia ex- communicat. Nomine autem divino- rum officiorum veniunt omnes Sacre functiones, quæ ab Ecclesia publice, & so-